

(III.)

NEOVIDENSIS

Nro 25. (*Neovidensis Nro 48.*)

Regio Gymnasii Neosoliensis Grammaticarum
classiarum Professore Seniore Aloysio
Schwarzman post confectum in mu-
nere docendi 30 annorum curriculum ad
nemora fortunata adventante, exhibita
nobis est

Dissertatio:

De praetensis belli beneficiis.

Elysiu -- Meum. -- Die Martis 26 Junii 1804. (Neov. 12 Junii.)

Sententia:

Nihil est tam absurdi, quod aliquis
Philosophorum non affirmasset.

Cic.

A quo tempore homines philosophantur,
invaluit malum absurdissima paradoxa pro-
pugnandi. Nuperrime sub nomine Magni cu-
jusdam peregrinantis prodivit scriptum de
beneficiis belli; quid? de beneficiis belli?
Quis audet tale quid affirmare? Sed audiamus,
quæ proferantur in medium.

Bellum est, ait Auctor, si nonnullis a
Platone laudatis Philosophis credimus, natu-
ralis hominum status; de qua veritate Hob-

besius adeo convictus fuit, ut eam ingenti volumine pertractaverit. Verum si bellum ita naturale est, uti ipsa vita, quod historiae videntur confirmare: profecto nihil melius possumus facere, quam, ubi ubi licuerit, conflagere. Hoc praelium praeterea ita antiquum, & nobile est, ut de Angelis, & Diabolis legamus, eosdem saepius cum magna animi fortitudinis manus conseruisse, quemadmodum id Miltonius testatur, qui eorum pugnas fideliter aequae, ac eleganter descripsit. Quin immo ipsa elementa diu semet bello intestino lacessiverunt, quod omnis retro acta aetas recognoscit; & reapse, nisi haec pugna intervenisset, conclamatum fuisset de nostra existentia.

Leones, Pardi, Tigrides, Lupi, Vulpes aggreduuntur quidem alia animalia, ut perimant; attamen se ipsos non enecant. Soli homines gaudent praerogativa ordinate se conjungendi, ut absque omni conscientiae remorsu mutuam inter se edant sanguinis profusionem. Et tamen homo omnium animalium principatum tenet, est ad imaginem Dei conditus, quod Theologis, & etiam nobis optime constat. Aliud jus praecipuum habent homines vescendi inimico occiso, quorum postremo secundum nonnullos Philosophos longe minor inest turpitudine, quam primo.

Adducuntur etiam aliqua specialia argumenta, quibus homines plerumque moventur ad gerenda bella offensiva, tale primum, &

fortissimum est fames. Ponamus duo vicina Regna, alterum rerum omnium copia abundare, in altero frumentum angustius provenire; si in hoc sterili regno incolæ superent numero inhabitatores regni fertilis, illi, ne fame pereant, hos aggredientur secundum jus naturæ, vi cujus propria securitas præferenda est alienæ.

Alterum æque forte motivum est vindicta: etiamsi causæ subinde futiles sint, vel plane ridiculæ. Idmodi causa fuit Helena, ob quam se tota Græcia decem annis bello internecino afflixit. Aspasia auctore, fides penes Aristophanem, eadem Græcia infelici bello Peloponesiaco lacerata est. Sic possunt fœminæ viros gignere, & occidere.

Quis audet affirmare, se habere jus alterius proprietatem, vel libertatem invadendi? Estne hoc jus? Multum denotat hoc verbum, cujus significationem plerique Philosophorum perperam intellexerunt. Si naturam consulamus, videmus, jus esse semper violentiæ effectum. Convertamus oculos in Oceanum, in quo immanes balænæ, ut se nutriant, quotidie milliones animalium abliguriunt. Quo jure hoc faciunt? Jure famis, & violentiæ. Idem obtinet in morali mundo, fortior opprimit debiliorem, & forte hoc ita semper usuveniet. Hæc res ita se habet, ut similitudine utar Petronii, sicut campus tempore pestis, in quo præter funera, & corvos, qui iisdem pascuntur, nihil videtur aliud.

Galli irruentes in Clusinos, ut eorum territorium occuparent, interrogati sunt a Ro-

manorum Legatis, enatas discordias componere volentibus, quo jure isthoc attentarent? responderunt: jure suorum gladiatorum, omnia enim in orbe terrarum esse fortioris. Simile quid dixerunt Legati Athèniensium apud Thucydidem. Semper apud fortiores fuit dominatus; nos nequaquam sumus auctores in natura fundatæ legis.

Quo jure occuparunt Europæi, suæque potestati subjecerunt Americam? Vi. Cunctæ nationes experiendo didicerunt ejusmodi juris titulo cohonestari omnem usurpationem, quem morem semper sequuntur. Interim, si ad arma descendant, absit, ut veras proferant rationes: sed inquirunt in hunc, vel illum prætextum, & nullo invento, fingunt, instar lupi in fabula. V. G. simulant se debere in vicina Provincia pacem restituere, vel ejus incolas illuminare, vel aliud aliquid moliri, & vi armorum redigunt totum regnum in suam ditionem.

Sed jam tempus urget, ut beneficia belli commemoremus; sunt illa multiplicia, nos aliqua tantum adferemus, reliqua enim Lectori sponte incident. 1) Multi hominum, qui secus oneri faissent aliis, addicunt se bello cum proposito nunquam amplius redeundi, quod & illis ipsis, & aliis prospere cedit. 2) Complures alii revertuntur triumphantes, sed cum uno tantum brachio, vel pede, vel cum pulchris cicatricibus in vultu, quæ omnia facile dissimulantur, si ita felices erant, ut multam secum attulerint pecuniam. 3) Bel-

lum multas familias præcipitat, multas extollit; ingeniosum inventum opes perdendi, & acquirendi. Etiam si una, alterave natio intereat, ex ruinis tamen earum plures aliæ renascentur. 4) Sine bello multæ Personæ æternis involverentur tenebris, quarum honorifica fit mentio in Historia, vel saltem in Ephemeridibus. 5) Quot inconsolabiles viduæ evadunt fortunatæ, per vicissitudines enim belli ad eum statum deveniunt, ut a jugo, sub quo toto vitæ tempore gemere debuissent, eximantur. 6) Bellum est fons multorum redituum pro Scriptoribus novorum, & ingens solatium pro multis hominibus, qui propriis ideis carentes, per nova & rerum gestarum narratione, & cogitationibus obruuntur, quorum primum licet plerumque ita falsum sit, sicut alterum insulsum, utrumque tamen ad id aptum est, ut disputationes instituantur, vel potius ut garriendo tempus fallatur. 7) Bellum suppeditat Poetis, & Oratoribus pulcherrimarum descriptionum materiam, nam terribilia objecta ingentem faciunt in animis impressionem. 8) Latissimum aperit campum Scribitoribus. Et re ipsa quomodo potest aliter explicari quotidiana editio tot fabellarum, etiam nostrarum? E tenebris producuntur in lucem, sed protinus, unde emergerant, relabuntur, contra omnem spem Auctoris, qui eas æternitati consecraverat. 9) Ipsis etiam oratoribus sacris bellum præstat beneficium, nam possunt sermones jam dudum in scriniis

latentes protrahere, in similibus enim occasionibus licet res tædium parientes Concioni obtrudere. 10) Si nunquam gereretur bellum, intercideret historia, nosque præclarissimis factis, & Orationibus destitueremur, & quæso, quid potest esse, aut fingi melius oratione? 11) Præterea theatra amisissent jucundissimas, & risu dignissimas Hectoris scenas; est vero non leve solatium, posse in hac miseriarum valle aliorum stultitas risu excipere. Probi etiam amant spectacula, & pauci sunt ejusdem mentis cum illo Syracusarum Tyranno, qui omnes comædias odit, quod nunquam riserit, pudorique duxisset, si ridere fuisset visus, scripsit tamen tragædias, quibus afficiebatur. 12) Est certum in bellis diuturnis, si præsertim accedat beneficium belli, fames, & pestis, multa millia hominum occumbere, indeque oriri vilitatem pretii. 13) Occurrunt circumstantiæ, in quibus homo omnes suas, quibus præditus est, vires exerit tam ratione boni, quam ratione mali. Tempore pacis observatur magna æquabilitas in actionibus hominum, quemadmodum in machinis, quæ secundum inditam directionem jam hoc, jam illo modo moventur; at belli tempore, aliisque ferventibus procellis videre est, quantum exorbitent humani affectus. Insignis occasio connotandi nostra vitia, & virtutes. 14) Attamen maximum belli beneficium in hoc consistit, quod gaudia pacis reddat gratiora, inde videtur provenire, optimam matrem nostram naturam

in eo promovendo tantopere esse prodigam. Aqua confestim stagnaret, & corrumperetur, nisi illi motum venti conciliarent; ita continua pax verisimiliter everteret omnem humanam felicitatem. Et hæc est genuina ratio, cur malum non sit malum, uti hoc complures Stoici Philosophi ita dilucide demonstrarunt, ut illi ipsi ante alios de hac veritate fuerint convicti.

Verum jam concludenda est dissertatio. Humanum genus transivit omnes ignorantiae, malitiae, ac stultitiae vicissitudines, quando ista finem accipient? forte nunquam. Quamdiu propriae utilitatis studio, & præjudiciis agitabuntur, tamdiu semper iidem manebunt, qui hætenus. Vel erunt nequam, vel assentatores, vel utrumque; Hoc profecto iudicium de hominibus non est honorabile. — Et pauci boni a reliquis contemnentur. Magni nominis scriptor existimat venturam ætatem, qua homines correcturi sunt suam naturam. Mirum dictu! converteturne aliquando lupo in agnum? Horrorem quidem incutit, si cogitemus, hominem semper eundem futurum, hoc tamen probabiliter ad grandem aliquem finem obtinendum necessarium videtur. Quod non possumus intelligere, debemus admirari, & approbare, præstat mirari, quam nihil dicere.

Scientiæ, & artes propterea, quod hominum intellectum perficiant, multum conferunt ad emolliendos mores. Sine dubio certa series doctorum, & cultorum annorum no-

stram corruptam naturam ad frugem revocaret; Sed artes & scientiæ perinde subsunt ever-
sioni, sicut omnes aliæ res. Naturales rerum
perturbationes, incursiones barbarorum, dia-
turna bella sæpe jam mundum in certum quod-
dam chaos præcipitarunt, quo tempore homo
constanter in eodem stultitiæ, & injustitiæ
circulo moratur. Quis potest certo affirmare,
qualis sit futurus politicus Europæ status post
ducentos annos?

Ast nec est operæ pretium de hominibus
serio cogitare. Nostræ ideæ, quibus universo
generi humano bene volumus, nequeunt in
effectum deduci, sed etiamsi opere impleren-
tur, diu non durarent, tempus enim homi-
nes, & eorum producta consumit. Vita ho-
minis adeo brevis est, tempus ita cito labi-
tur, ut non videamur esse nati ad cogitatio-
nes nostras magnis operibus impendendas.
Dicamus, quod lubet, Orbis terrarum suam
orbitam semper tenebit, & cum torrente even-
tuum sapientes, & stultos secum trahet. Quid
prodest intellectum habere excultum, si non
satisfiat optimis nostris desideriis? Quamdiu
intellectus parum, aut nihil potuerit efficere,
quamdiu affectus, & violentia imperitaverint
orbi, subjiciamus nos æquo animo æternis
ordinis legibus, uti canit Horatius:

Levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas.